



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

VI. An sit aliqua euidencia credibilitatis in ijs veritatibus, quæ fide supernaturali credi debent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38954**

negare sine peccato non possumus; sic etiam similiis certitudo moralis prudenti iudicio innixa sufficit, ut non tantum licite possimus, sed etiam ut obligemur ad reddendum patriæ cultum hinc hostiæ consecratæ, sub cuius speciebus corpus Christi est, prudenter & secundum rectam rationem indicamus; quem cultum haud dubie, tanquam minimè debitum omittere sine graui peccato non possumus.

## SECTIO VI.

*An sit aliqua euidencia credibilitatis in iis veritatibus, quæ fide supernaturali credi debent.*

**C**um suprà dixerimus obiecta fidei esse obscura, obscureque à Deo reuelata; & nihilominus illa esse firmissimè ac seclusà omni dubitatione credenda; inde oritur quæstio, an saltem in iis sit aliqua sufficiens ratio credibilitatis, per quam possit quis agnoscere & prudenter iudicare se obligari ad assensum illis dandum.

Est autem obseruandum hæc duo (*esse verum & esse credibile*) valdè inter se distingui; prius enim affirmat simpliciter rem ita se habere; posterius verò asserit tantum dari aliquod sufficiens argumentum, propter quod res illa prudenter credi possit.

His prænotatis, pro quæstionis propositæ resolutione, dicendum est veritates nostræ fidei, licet obscuræ sint & ineuidentes, esse tamen euidenter credibiles.

Probat 1. ex his verbis Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Probat 2. ex S. Aug. lib. de vtilitate credendi cap. 15. & 16. vbi fusè agens de hac euidencia credibilitatis, dicit pertinuisse ad prouidentiam Dei constituere aliquam auctoritatem, quæ velut gradu certo inuitentes, attollamus in Deum, & possumus credere sine temeritate & periculo errandi: & paulò

paulò pòss addit nos duobus modis moueri ad credendum, scilicet miraculis, quæ in confirmationem fidei facta sunt, & multitudine populorum illam profitentium; quæ etiam repetit & confirmat in lib. cont. Epist. fundamenti cap. 4. his verbis: *Multa sunt, quæ me iustissime tenent in Ecclesia Catholica gremio; tenet consensus populorum & Gentium; tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli usque ad presentem Episcopatum successio sacerdotum.*

Probatur 3. hâc ratione: veritates nostræ fidei sunt à Deo reuelata, & ad credendum propositæ cum talibus circumstantijs, vt assensus fidei supernaturalis possit circa illas prudenter & absque vllò leuitatis peccato elici, aliàs, si leuiter & imprudenter eliceretur, non esset actus virtutis: atqui talis assensus elici prudenter non potest circa veritates illas, nisi euidenciam aliquam habeant credibilitatis; neque enim ille prudens esse censeretur, qui temerè & inconsideratè quiduis sibi propositum crederet, nihil in se perpendens, an dignum sit, quod credatur.

## SECTIO VII.

*Quibus argumens seu motiuis veritates fidei nostræ sint euidenter credibiles.*

**V**aria sunt argumenta, quibus SS. patres vsi sunt ad illam credibilitatis mysteriorum nostræ fidei euidentiam demonstrandam: nos ex plurimis illustriora hîc feligemus.

1. Dicit S. August. lib. de vtilit. credendi cap. 14. & cont. Epist. fund. cap. 4. à multitudine, conditione & autoritate eorum, qui fidem Christianam omnibus sæculis amplexi & professi sunt: illud enim procul dubio dignum est credi, quod omnes pene Gentium nationes, & in his innumerabiles viri summâ autoritate, summo ingenio & eximiâ doctrinâ præditi, firmiter & seclusâ omni dubitatione crediderunt.

2. Ar-